



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 8. De Principiis concurrentibus ad formalem Beatitudinem ex parte potentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

quam maximus omnium mons, & minima omnium formica, exinde nequit homo intuitivè videre Deum; & creaturam, quin certissimè discernat Deum à creatura: Unde paritas suo pondere ruit, adhuc innitendo materiæ, supra quam ab adversariis adstruebatur. Cæterum hinc aliquantò attentius introspectatur, facile apparabit, quàm à longè petita sit paritas.

314 Ratio est, quia intellectus operans independentè à sensu, ac proinde independentè ab objecti distantia, vel indistantia locali; non est capax nubecularum, aliarumque indispositionum, quibus vitiato mediò; aut sensario vitiato, vitiatur directè visio corporalis, & indirectè mentalis; & utraq; impeditur; ne discernat unum objectum ab altero. At intellectus intuitivè videtis objectum, nempe Deum, elicit visionem ex concursu immediato, vel specie ipsius Dei propria, seclusis illis nubeculis: unde ea visio est signum; seu expressio clara Dei, ratione cuius manet Deus quasi signatus in intellectu Beati. Ad eum modum; quo signum clarum impressum à sigillo, continente imaginem unius objecti manifestè discernitur à signo claro impresso ab altero sigillo continente imaginem alterius objecti; licet inter plura signa, clara dari queat magis, & minus. Verumtamen sicut inter illa nequit dari confusio, ita dari nequit confusio inter intuitionem mentalem objecti creati, & intuitionem mentalem objecti divini. Quæ est ratio, propter quam visio intuitiva Dei nequit elici à pura natura, quamvis ab ipsa possibile elici actus non discernentes unum objectum ab altero.

315 Objic. 5. D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 8. docens teneri nos explicitè credere Trinitatem; sibi objicit hoc tertium argumentum: *Illud tenemur explicitè credere in Deo, quod est beatitudinis objectum: sed objectum beatitudinis est bonitas summa, quæ potest intelligi in Deo etiam*

*sine Personarum distinctione; ergo non fuit necessarium explicitè credere Trinitatem.* Ad hoc autem argumentum ita respondet. *Ad tertium dicendum, quod summa Bonitas Dei secundum modum, quo nunc intelligitur per effectus, potest intelligi absque Trinitate Personarum: sed secundum quod intelligitur in se ipso, prout videtur à Beatis, non potest intelligi sine Trinitate Personarum.* Et iterum ipsa visio Personarum divinarum perducit nos in beatitudinem. Ergo ex D. Thomas essentialis beatitudo nostra objectiva non est Deus solum ut unus, sed etiam ut trinus. Resp. conc. ant. & neg. consequentiam. Quia D. Thomas non loquitur de beatitudine essentiali objectiva, prout contraposita ipsius proprietatibus, sed prout conjuncta cum illis, atque ita tractata à visione; non enim loquitur in hypothesi præsentis controversiæ, sed de visione & modo, quo defacto habetur à Beatis, ut patet ex ipso textu.

316 Quin imò si verba D. Thomæ attentè considerentur, maximè confirmant doctrinam nostram contra adversarios. Licet enim modò Beati videant Deum ut unum; & trinum; ac proinde essentiam, & relationes, sive Personas, attamen, ut in testimonio adducto docet D. Thomas, ipsa visio Personarum divinarum perducit nos in beatitudinem. Quid enim significare possunt hujusmodi verba, nisi quòd visio personarum non est visio objectivæ beatitudinis, sed ducens in objectivam beatitudinem: ad eum modum, quo visio proprietatum ducit in cognitionem essentiæ: unde ex D. Thomæ relationes non sunt objectiva beatitudo; sed divina essentia. Quare mirum non est, quòd moderni Thomistæ, quos imitatur Gonetius, non assumant jam hoc D. Thomæ testimonium contra nos, sed mirabile forsitan erit, quòd nequè contra se ipsos objiciant; neque horum verborum mentionem ullam faciant.

## DISPUTATIO VIII.

### DE PRINCIPIIS CONCURRENTIBUS AD FORMALEM BEATITUDINEM EX PARTE POTENTIÆ.

317 Cum formalis beatitudo in actibus intellectus, & voluntatis sit ex dictis à num. 193. atque ad eliciendos eos actus vitales concurrat effectivè potentia cum principiis; quæ constituunt illam adæquatam in esse potentiam; quærimus in hac disputatione, quænam sint; & quomodo ea principia concurrant. Insuper cum actus intellectus à creatura elicitus sit expressio, & imago sui objecti, quo ab actu voluntatis distinguitur, qui nequè expressio, nequè imago objecti sui est: atque de ratione imaginis formalis objecti sit, quòd producat ab objecto, cuius est imago, vel ab aliquo concurrente loco objecti, exinde cognitio creata alicujus objecti non solum à potentia cognoscente, sed etiam ab

objecto; seu à comprincipio loco objecti concurrente debet produci. Quia de causa cognitionis essentialis Dei, licet sit cognitio; & expressio Dei; non est imago Dei; quia non est producta; ut ex principiis fidei, quæ habentur in mysterio Trinitatis docent Theologi, & exinde talis essentialis Dei cognitio, nequè est verbum mentis; nam imago, & verbum mentis sunt idem. Cognitio enim dicitur expressio quatenus repræsentat formaliter cognoscenti objectum; in quod tendit, ex quo titulo dicitur etiam species expressa. Dicitur verbum; & imago; quamvis in ipsa repræsentatur objectum per propagationem objecti, sive per veram productionem. Unde si terminus productus non sit

formalis expressio, qua intellectus formaliter cognoscat, sed tantum instrumentalis repræsentatio ad modum speculi, per quod formaliter non cognoscimus, sed in eo tamquam in instrumento objecta repræsentantur, tunc non erit formalis cognitio, licet sit imago, & verbum mentis. Hæc autem est ratio, propter quam verbum divinum, cum non sit formalis expressio, sed instrumentalis repræsentatio ad modum speculi, non est cognitio formalis, licet sit verbum mentis, & imago patris. Et simul est ratio, propter quam cognitio nostra, cum sit formalis expressio producta, non solum est formalis cognitio, & species expressa, sed etiam verbum mentis, & imago objecti. Quærimus modò, quænam principia requirantur ad cognitionis productionem, ut exinde inferamus quænam requirantur ad productionem volitionis. Vix est implicatior ulla difficultas ob defectum principiorum stabilium, quæ à Theologis velut nota non declarantur, vel ex alio titulo penitus omittuntur; ne autem in incertum tendamus, sic

## SECTIO I.

### De Prærequisitis ad Controversiam.

318. Suppono 1. Cognitionem creatam utpote imaginem objecti sui non solum produci à potentia cognoscitiva, sive ab intellectu, sed etiam ab objecto, sive à comprincipio locò objecti concurrente, juxta illud Philosophorum, & Theologorum axioma ex Augustino desumptum: ex objecto, & potentia paritur notitia. Quod ad eò certum Augustinus judicavit, ut perspicuum, seu liquidum id esse decreverit: sic enim ait tom. 3. lib. 9. de Trin. c. 12. *Unde liquidum tenendum est, quòd omnis res, quamcumque cognoscimus, quod generat in nobis notitiam sui, ab utroque enim notitia paritur, à cognoscente, & cognito.* Ratio autem hujus doctrinæ, non video, ex quo alio capite alius posse desumi, nisi ex titulo ad propagationem requisito: objectum enim ut objectum est in ordine ad cognitionem, quæ est qualitas, accidentalis expressio, & imago objecti, in qua omnia objecti prædicata vitaliter repræsentata sunt: atque ad eò sicut in physicis pater dicitur propagatus in filio, quia filius est vitalis imago patris, à patre, vel ab aliquo locò ipsius concurrente productus: ita objectum dicitur propagatum in cognitione; quia cognitio est vitalis imago objecti ab ipso, vel ab aliquo locò ipsius concurrente producta.

319. Rem. explico paritate ex physicis desumpta. Plura quippe sunt entia creata, quæ physica generatione propagantur, producendo sibi simile in prædicatis formalibus, ut homo hominem, leo leonem, planta plantam, & sic de aliis. Productio autem hæc, & propagatio tripliciter fieri potest. Primò immediate à re propagata, sic ex radice nascitur arboris virga, quæ crescit in arborem ejusdem omnino naturæ, ac arbor, à qua fuit immediate producta. Secundò mediatè, ni-

mirum medio semine destinato à natura ad arboris propagationem: sic arbor producit in primo semen à natura destinatum ut ad arboris propagationem locò arboris concurrat, quod proinde terræ commissum erumpit in arborem similem producenti. Tertio per applicationem, aut destinationem virtutis naturæ factam unius seminis in aliud, ut alterius locò concurrat: sic ut experientia docet feminando quandoque in terra aliqua frumentum, terra illa virtute sua applicat semen frumenti locò blatae: proindeque ex ea terra eoque semine oritur, non quidem frumentum, sed blata. At utcumque res se habeat, & quomodocumque detur propagatio, semper terminus propagationis producitur physice à re, quæ propagatur, vel ab aliquo locò ipsius physice concurrente, ut in exemplis adductis notum est.

Eodem profus modo se habet objectum per cognitionem, sive imaginem formalem sui vitaliter propagatum; ideoque debet physice concurrere ad talem cognitionem, vel immediate per se ipsum, vel mediante semine, ab ipso producto, ut locò ipsius concurrat, quæ quidem à Theologis, & Philosophis cum Augustino vocatur species impressa, quæ est semen objecti, & potentia intellectivæ commissa producit cum ipsa objecti imaginem, vel saltem assumi debet à natura intellectiva species ipsi commissa, & ordinari non quidem ad expressionem alterius, sed ad expressionem hujus objecti, quod per ipsam propagatur, quæ proinde dicitur concurrere locò objecti, saltem ex ordinatione, aut destinatione naturæ, ut constabit num. 324. Quapropter si objectum se ipso sit satis approximatum potentia, aut expeditum, potest cum potentia immediate se ipso producere cognitionem: sic anima separata cum non indigeat ad cognoscendum speciebus sumptis à phantasmaticibus, atque ad eò expedita sit ad se ipsam cognoscendam, sibi que sit satis approximata, immediate ratione sui, immediatione objecti, atque immediatione intellectus producit cognitionem sui, quod quidem August. lib. 9. de Trin. c. 12. per hæc verba declarat: *Itaque mens cum se ipsam cognoscit, sola parens est notitia sua: & cognitum enim, & cognitor ipsa est.*

Quando verò objectum vel est impeditum, ne immediate concurrat, vel non est potentia intellectivæ satis approximatum, tunc per virtutem ipsius naturæ insitam, producit speciem impressam sui, quam potentia immitit, ut objecti locò concurrat ad vitalem objecti propagationem: ex objecto enim tendit ad sensus externos, ex his autem ad internos ea gradatione, quam lib. 11. de Trin. c. 9. exponit Augustinus per hæc verba. *In hac igitur distributione cum incipimus à specie corporis, & pervenimus usque ad speciem, quæ fit in contuitu cogitantis, quasi species reperiuntur, quasi gradatim nata altera ex altera, 2. de 1. 3. de 2. 4. de 3. à specie quippe corporis, quod cernitur, exoritur ea, quæ fit in*

*sensu verentis, & ab hac ea, qua fit in memoria; & ab hac ea, qua fit in acie cogitantis.* Tandem ex specie unius objecti vel ratione dependentiæ, aut similitudinis, aut dissimilitudinis, quam habet cum altero, aut ex destinatione naturæ instituentis unum ad significandum alterum, potest potentia intellectiva ex virtute naturali sibi indita uti ad eliciendam cognitionem, & expressionem, sive vitalem propagationem alterius objecti, ut experientia constat, & dicemus num. 324.

321. Sic Augustinus eodem lib. 11. de Trin. c. 8. *Unum quippe solem memini, quia sicut est unum vidui. Si voluero autem, duos cogito, vel iras, vel quotquot volo.* Quinimò certum est ex fide per species creaturarum venire nos in cognitionem ipsius Dei, ut diximus à num. 6. de Deo, & constat ex Paulo ad Rom. 1. Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Unde eisdem tribus modis, quibus res aliqua naturaliter potest physicè vitaliter propagari, potest etiam vitaliter propagari intentionaliter; cumque ad propagationem requiratur influxus physicus rei propagatæ, exinde ad cognitionem requiritur influxus physicus objecti, vel speciei locò objecti concurrentis. Quando autem objectum per se ipsum, aut per speciem à se immediatè immixtam, concurrat ad cognitionem naturalem, intuitivè cognoscitur; at verò quando assumuntur species alienæ ad illud cognoscendum, tunc quidem non intuitivè, sed abstractivè cognoscitur. Vide à num. 121.

322. Supp. 2. Virtutem intellectivam, & speciem impressam ita concurrere effectivè ad producendam naturalem cognitionem, ut virtus intellectiva se teneat ex parte potentiæ: species autem impressa se habeat ex parte objecti. Ratio est, quia virtus intellectiva concurrat ut principium cognoscitivum; species impressa ut propagativum objecti: atqui ut potentia cognoscat per cognitionem propagativam objecti, requiritur, quòd potentia non se habeat merè passivè, sed quòd concurrat productivè ad talem cognitionem, ut per eam vivat; vivens enim creatum, & merè passivè se habens, seu non operans, sunt termini adversativi, ut ex Philosophia suppono, & constat ex Tridentino Sess. 6. can. 4. contra Lutherum, & Calvinum dicente. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo morum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit.* Ubi concilium contraponit ly cooperari cum ly se habere velut inanime quoddam, id est non vivens. Pro potentia ex titulo vitalitatis requiritur ex parte sui virtutem cognoscitivam, producentem cognitionem; tum etiam objectum ex titulo propagationis sui per cognitionem requirit vel per se,

vel per speciem locò illius substitutam influere physicè in cognitionem, ut constat à num. 317. ergo virtus intellectiva productiva cognitionis se habet ex parte potentiæ, & species impressa ejusdem cognitionis productiva se tenet ex parte objecti.

Supp. 3. Speciem impressam, vel ab objecto immixtam, vel à natura locò objecti substitutam ad plures sensus externos, & exinde ad internum pervenire posse. Sic Petrus ab oculis corporeis intuitivè visus speciem impressam sui mittit ad oculos, si verò loquatur de se ipso, speciem ad ipsum cognoscendum se ipso mittit ad aures. Pariter cum plura signa instituta sint vel à natura, vel à destinatione naturæ v. g. voces, scriptura, nusus, vel id genus alia ad substituendum pro rebus ab illis significatis; ea de causa species ab illis signis desumptæ, & ordinatæ ad eliciendam cognitionem objectorum significantium sunt destinatæ à natura, ut effectivè concurrant ex parte objecti ad eliciendam cum potentia cognitionem objecti, pro quo species illa substituitur: quæ quidem est una ex rationibus, propter quas habemus à natura destinatas plures species objectorum, quæ neque existunt, neque umquam extiterunt; quibus potentia intellectiva naturaliter elicit eorum objectorum abstractivas cognitiones.

Supp. 4. Virtutem intellectivam ita concurrere ex parte potentiæ, & speciem impressam (quocumque ex modis superius expolito) quæ efficitur cognitio, ita concurrere ex parte objecti, quando istud se ipso immediatè non concurrat, ut utraque hæc virtus simpliciter requiratur ad constituendam causam adæquatam productivam cognitionis, quæ proinde est, & dicitur virtus requisita ad simpliciter posse. Ratio est, quia absque potentia cognoscitiva nullus potest cognoscere; & absque specie objecti, quando objectum se ipso immediatè non concurrat, nequaquam potest cognoscitiva potentia naturaliter prorumpere in talis objecti cognitionem, ut experientia docet, neque aliter potest cognitio procedere, verbum mentis, & imago objecti, ut constat à num. 317. atqui illa virtus, sine qua effectus nequit naturaliter produci, & est, & dicitur requisita ad simpliciter posse; ergo &c.

Supp. 5. Maximum esse discrimen inter virtutem requisitam ad facile posse, & virtutem requisitam ad simpliciter posse. Ratio est, quia virtus requisita ad facile posse, talis est, ut in quocumque ipsius gradu, vel quasi gradu tam intenso, quàm remisso supponat totum posse, atque adeo ex adæquato illius facilitatis defectu, licet locò ipsius nulla alia virtus substituat, nequaquam deficit adæquatum posse; virtus verò requisita ad simpliciter posse talis est, ut ex adæquato illius defectu nulla alia locò ipsius virtute substituta, deficiat quoque posse ad effectum. Rem explico in habitu acquisito, qui deservit ad facile posse, & in habitu per se infuso, qui

qui deservit ad simpliciter posse: ille enim, qui per virtutem adæquatam, quam habet ad intelligendum, se exercet eliciendo syllogismos, per actuum repetitionem acquirit facilitatem ad similes actus eliciendos; facilitas quippe acquisita, quæ vocatur habitus ad facile posse, generatur per repetitionem actuum; unde cum actus supponat totum posse, deficiente omnino illa facilitate, nullaque virtute ejus loco substituta, manet adhuc totum posse.

327. Habitus verò per se infusus non acquiritur per repetitionem actuum, sed debet præcedere, vel loco illius substitui aliud principium, ut possit elici actus, ita ut causa naturalis se efficiente habitu per se infuso, aut altero comprincipio loco ipsius concurrente, nequaquam possit elicere actum supernaturalem. Quapropter sicut augmentum habitus per se acquisiti est virtus ad facile posse, ita augmentum habitus per se infusi est virtus ad simpliciter posse: unde sicut habitus per se acquisitus, remissus constituit facilitatem remissam, & intensus intensam, ita habitus per se infusus remissus constituit simpliciter posse remissum, & intensus simpliciter posse intensum. Quinimò cum simpliciter posse naturale non solum se extendat ad bonum, sed etiam ad malum; species impressa, quæ concurrat cum potentia ad eliciendum actum complexivum objecti præcepti, ac proinde boni, potest cum ea concurrere ad eliciendum actum aversivum, ac proinde malum circa ipsum objectum, ut omnes fatentur. At verò habitus acquisitus ex complexione bona non potest, ut defendunt plures, concurrere cum potentia ad fugam malam illius objecti; ex quo patet aliud discrimen inter virtutem se habentem ad posse, & inter virtutem se habentem ad facile posse. Exinde

328. Supp. 6. Causam naturalem adæquatam productivam cognitionis requisitam ad simpliciter posse constitui ex virtute cognoscitiva se tenente ex parte potentia, & ex specie impressa, sive virtute objectiva se tenente ex parte objecti. Ratio est, quia causa adæquata ad simpliciter posse constituitur ex causis partialibus ad simpliciter posse requisitis: sed ad producendam cognitionem naturalem requiruntur simpliciter duæ illæ partiales virtutes, altera quidem cognoscitiva se tenens ex parte potentia: & altera objectiva se tenens ex parte objecti, ut ex dictis satis constat: ergo causa adæquata ad simpliciter posse ex his duabus partialibus virtutibus constituitur. Nihilominus inter virtutem cognoscitivam, & speciem impressam est illud magnum discrimen, valde notandum, quod insinuavi num. 149. nimirum quod virtus ex parte objecti solum requirit concursum effectivum, qui suppleri potest à Deo se ipso immediate concurrente ad perfectionem effectivæ virtutis absque imperfectione; ideoque se ipso absque concursu objecti, potest infundere intellectui species objectorum non solum naturales, sed etiam supernaturales, sicut infudit Christo

Domino, cum illis objecta cognoscanti independenter à phantasmatibus, ut docent Theologi in Tractat de Perfectione Christi. Quod & ad similes actus eliciendos aliter etiam de Deipara Exim. Doct. tom. 2. in 3. partem disp. 9. sect. 3. Qui quidem agendi modus communis non est reliquis Justis.

At virtus intellectiva, cum non solum concurrat in genere causæ efficientis, sed indispensabiliter etiam in genere causæ formalis, est enim virtus immanenter operativa suæ intellectivæ ex Trident. cit. num. 323. quæ immanentia & rationem effectivam, & formalem simul complectitur; exinde suppleri à Deo se ipso non potest; sic absque albedine nequit Deus reddere Petrum album; neque lapidem, qui ex essentia sua hac vitali virtute caret, potest Deus per supplementum ullum reddere cognoscentem: Etenim licet non requiratur indispensabiliter, ut actus sit vitalis, & immanens respectu alicujus potentia, quod potentia actum illum exigat; requiritur tamen indispensabiliter, quod actus exigat potentiam: sic potentia naturalis intellectiva non exigat producere actum supernaturalem intellectus, quo cognoscat, at intellectio supernaturalis producta ex titulo vitalitatis, & immanentia, exigit ex intrinsicis suis manere in intellectu, non verò exigit manere in lapide; licet enim res naturalis non possit exigere supernaturalem, cum sit supra illius exigentiam, at res supernaturalis potest exigere naturalem, cum hæc sit intrinseca illius exigentia; sic unio hypostatica supernaturalis exigit humanitatem naturalem.

Supp. 7. Inter cognitionem divinam utpote improductam, & cognitionem creatam utpote productam magnum intervenire discrimen respectivè ad potentiam cognoscentem, atque ad objectum cognitum. Ratio est; quia cognitio divina utpote improducta respicit intellectum exigendo identitatem cum ipso, ut ex Tract. de Deo latè constat: cognitio verò creata, sive naturalis sit, sive superna, respicit intellectum, exigendo ab ipso produci, atque in ipso per unionem manere. Exinde cognitio divina respicit objectum, aut determinativè, aut purè terminativè, quæ proinde non est verbum mentis, nec imago objecti, licet sit illius expressio, & representatio; cognitio verò creata respicit objectum physicè movè, quæ proinde est expressio, & representatio objecti, illius imago, & verbum mentis ex dictis num. 317. Neque impedit, quod Deus utpote continens absque imperfectione virtutem effectivam omnium objectorum possit se ipso immediate concurrere cum potentia creata loco objecti immediate non concurrentis ad producendam talis objecti cognitionem; nam in eo casu jam Deus supplet loco objecti concursum effectivum objecti: quod satis est, ut ea cognitio exposita illas formalitates contineat. Neque ad rem facit, quod tale objectum in eo casu possit in aliquo sensu dici purè terminativum juxta aliquorum expositionem.

fictionem: nam in sensu, de quo loquimur, certe non esset purè terminativum.

Supp. 8. Causam adæquatam naturalem productivam naturalis cognitionis elevari à Deo in præsentem providentiam ad producendam cognitionem supernaturalem, quæ, ut ait Apostolus, cognoscimus per speculum in ænigmate. Unde habitus per se infusi, aut auxilia divinæ gratiæ, aut omnipotentia extrinsecè applicata, quæ locò illorum habituum concurrunt, continent in se virtutem elevativam principii tenentis se ex parte objecti, & comprincipii se tenentis ex parte potentia; atq; simul concurrenti effectivè cum illis. Ratio est, quia principium supernaturale, quo naturalis causa elevatur, ideo conferitur creaturæ, ut virtus illa, quæ naturaliter operando efficiebat suum actum naturalem, simul cum principio elevante supernaturaliter operando efficiat actum supernaturalem; atqui neq; sola virtus naturalis objectiva, neque sola virtus naturalis intellectiva, sed utraq; simul eliciebat actum suum naturalem, ut constat à n. 318, ergo neq; sola virtus naturalis objectiva, neq; sola virtus naturalis intellectiva, sed utraq; simul elevatur à principio supernaturali, ut concurrente cum ipso eliciat suum actum supernaturalem.

Quapropter cum habitus, seu principium supernaturale non recipiatur intrinsecè in specie impressa, sed in intellectu, nõ elevat intrinsecè, sed extrinsecè speciem impressam, & intrinsecè intellectum, ut bene notarunt Ripalda tom. 1. de Ente supernaturali disp. 54. sect. 1. n. 10. & Card. de Lugo disp. 9. de Fide sect. 4. n. 70. Etenim principium elevans causam naturalem ad supernaturaliter operandum, est ex genere illorum, quibus eo ipso debetur concursus aliarum causarum naturalium, ut ponatur effectus: sic in hypothesi, qua supponatur possibilis oculus corporeus supernaturalis non indigens lumine ad videndum colores, objectum naturale, aut locò ipsius naturalis species absq; nova elevatione concurreret ad producendam visionem. Sic defacto corpus gloriosum per dotem subtilitatis habet posse penetrari cum quolibet alio corpore, quin corpus, cum quo penetratur, indigeat alia dote subtilitatis. Unde principium intrinsecum elevans, non exinde dicitur magis connaturale, quàm extrinsecum, quia naturale sit intellectui; non enim est naturale, sed supernum: sed dicitur magis connaturale, quia tale est juxta naturam gratiæ habitualis inhærentis animæ: sicut enim reliquæ naturæ exigunt potentias sibi intrinsecas, & permanentes; ita etiam gratia, quæ est quasi natura in ordine superiori radicans supernas potentias animæ, connaturalius constituitur exigens potentias intrinsecas, quæ animam elevent, quam extrinsecas: unde cum gratia non exigat recipi in objecto, exinde neq; exigit principium intrinsecum objecto ipsum elevans, sed id totum præstat per principium potentia intrinsecum.

Hæc autem est ratio, propter quam omnes

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

Theologi antiqui cõstanter docuerunt, & præter unum, vel alterum docent etiam omnes Recentiores, ut locis n. super. citatis ostendunt Lugo, & Ripalda, ad primam cognitionem supernaturalem objecti necessariã nõ esse speciem supernaturalem: talis namq; species non producitur ab objectis; etenim si species naturalis nequit se sola immediatè producere actum supernaturalem, neq; objectum naturale posset se solo immediatè producere speciem supernaturalem: quod etiam pater in objecto supernaturali abstractivè à nobis cognito, absq; eo, quod per se immitat speciem supernaturalem. Rursus neq; species objectorum supernaturalium, quæ per actus supernaturales abstractivè cognoscimus, infunduntur à solo Deo, ut contendit unus vel alter Recentior. Ratio est, quia si tales species infunderentur à solo Deo, Prædicatores, & Magistri nullum profus haberent influxum in conversionem infidelium; eorumq; ministeriũ est apparentia solum phantastica, ad nihil deserviens, nisi ut tegeretur operatio Dei, qui solus interiùs species ministraret absq; ullo concursu prædicationis humanæ. Atq; adeo immeritò Paulus dixisset: *Ego plantavi*. Et inutiliter interrogasset: *quomodo credent sine prædicante*.

Ridiculus quidem esset, ut ait Card. de Lugo, & alienæ gloriæ usurpator fraudulentus, qui diceret se aliquam arborem plantasse, eo quod ipso semine jacente, quo nihil profus germinavit, aliud semen diversum in eodẽ solo sevit, ex quo arbor nata est. Si ergo prædicatione speciem in audiente generat, quæ species stabilis omnino manet, nec cognitionem ullã parturit, sed sola species alia à Deo infusa id totum facit, ipse homo non magis plantat, vel docet, quàm si furdo loqueretur: & Deus eodem tempore eadem objecta illi revelaret: unde immeritò, & sine fundamento Paulus discipulos suos alloquens diceret: per Evangelium ego vos genui. Si enim semen Evangelicum à Paulo in audientium mentes jactum, sterile omnino manserit, & absque ullo profus effectu, solumque semen à solo Deo immisissum germinaverit, non quidem Paulus, sed solus Deus discipulos genuisset.

Ne autem hæc adeo absurda dicantur, fatendum est species illas, quas prædicatione gignit in mentibus audientium, influxum habere in actus supernos, quatenus ex ipsis, & potentia intellectiva conflatur causa adæquata naturalis, quæ simul cum principio elevante producit actum supernaturalem: atq; ita Prædicator influxum habet in assensum Evangelio, & fidei præstitũ; alioquin tota prædicatione Evangelica phantastica, & apparens redderetur, si solus Deus ad præsentiam prædicatoris species alias conferret, sicuti si ad cantum galli illas infunderet. Tunc enim prædicator nec plantaret nec generaret, sed esset purus terminus; ad eũ modũ, quo, quando Dominus præcipit servo, ut conferat eleemosynã, cum insonuerit horologium, sonus horologii se habens ut purus terminus, nõ causat eleemosynam, neq; est causa physica, neq; moralis illius,

Q9

ut

ut constat ex dictis à n. 20. & 189. de Sacramentis. Quapropter nec sola species, nec sola potentia, sed utraque simul elevatur, atque cum principio superno producit actum supernum.

336. Supp. 9. Visionem, qua Beati in presenti providentia Deum intuitivè vident, procedere non solum à Deo, aut specie impressa loco Dei concurrente, sed etiam ab intellectu creato. Ratio est, quia visio beatifica est vitalis respectu intellectus beati, illumque denominat viventem juxta illud Joan. 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum. Atqui potentia debet producere actum, quo denominatur vivens, ita ut non possit merè passivè se habere, ut constat ex n. 323. ergo &c. Cæterum cum intellectus ex se improporcionatus sit ad visionem illam supernaturalem producendam, neque Deus per se solum defecto suppleat comprincipium elevans requisitum ex parte potentia, sed ex dictis n. 132. se accommodet exigentiæ gratiæ ex natura sua postulantis habitus per se infusos, inhærentes potentia ex dictis à n. 60. de Virtut. Pœnitentiæ, ut causam naturalem elevent, atque cum ipsa effectivè ad suos actus concurrant, exinde sicut ad exigentiam habitualis gratiæ confert Deus in via habitum per se infusum fidei ad eliciendum supernaturalem actum fidei, aliisque virtutum habitus ad supernaturales earum virtutum actus eliciendos; sic etiam in patria ad eliciendam visionem confert ad exigentiam gratiæ habitualis habitum luminis gloriæ. Proinde contra errorem Begardorum, & Begvinarum cit. n. 130. definit Concilium Vienn. ut refertur in Clement. Ad nostrum de Hæret. *Animam indigere lumine gloriæ ad Deum videndam, & eo beatè perfrueundam.*

337. An autem ex vi hujus definitionis Concilii Vienn. sit de fide dari in Beatis lumen aliquod per modum habitus, seu qualitatis in potentia permanentis, negant Molina, Vasquez, Grando, aliiq;. Ratio est, quia quodcumq; auxiliū sive intrinsicum, sive extrinsecum, quo potentia obediens elevetur ad videndum Deum est lumen effectivum, cum deserviat ad eliciendam claram DEI visionem, quod fuit intentum Concilii definiens contra Begardos, & Beguinas non posse naturam solis viribus suis talem visionem elicere. Thomista verò, pluresque alii cum ipsis docent, esse de fide dari defecto lumen per modum habitus. Ratio eorum est, quia verba Conciliorum accipienda sunt secundum vulgarem sensum, quem habent apud homines: lumen autem vulgariter dictū apud homines aliquid permanens significat.

338. Video hanc rationem non planè convincere. At quidquid sit de certitudine fidei, censeo Theologicè discurrendo asserendum esse revera dari defecto lumen per modum habitus. Ratio est, quia gratia habitualis non solum est in via quasi natura in ordine superno, sed etiam est semen gloriæ; ergo sicut in via conceduntur ipsi connaturaliter principia per modum ha-

bitus ex n. superiori; idque declaravit Concilium ipsum Viennense loco supra citato, ita in patria debet ipsi connaturalius concedi principium per modum habitus ad actum gloriæ, sive visionis beatificæ; hoc enim conformius videtur menti Concilii. Quinimò si ad eliciendum in patria actum amoris conceduntur adversarii dari defecto principium charitatis per modum habitus, quomodo negare possunt ad eliciendum quoque actum visionis dari defecto principium visionis per modum habitus? Rursum lumen gloriæ datur in patria loco principii fidei, quod erat in via: sed principium fidei ex Vienn. cit. est in via per modum habitus; ergo lumen gloriæ est in patria per modum habitus. Unde anima defecto indiget tali lumine gloriæ; quia defecto operatur juxta exigentiam gratiæ; juxta quam absque tali lumine gloriæ non operaretur.

Supp. 10. Dupliciter posse principium aliquod concurrere ad producendum terminū. 1. ut quo, sive immediatione virtutis: sic Paternitas concurret in divinis ad producendum Filium. 2. Ut quod, sive immediatione suppositi, ex illo Philosophorum, & Theologorum proloquium: actiones sunt suppositorum: sic Pater æternus concurret ad producendum Filium. Quapropter cum visio beatifica, ad quam per lumen gloriæ homo elevatur, sit actus intellectus, adeoque vitalis, quo homo cognoscit, & vivit, non solum debet effectivè procedere ab habitu, sed etiam ab intellectu. Ratio est, quia ea visio beatifica simul, & indivisibiliter est vitalis, & supernaturalis; atq; adeo requirit causam continentem virtutem vitalem, & supernaturalem, lumen autem se solo non continet vitalitatem, sed supernaturalitatem. Intellectus verò se solo non continet supernaturalitatem, & vitalitatem: conjunctum verò ex intellectu, & lumine utramque continet formalitatem; atque adeo & intellectus, & lumen debent concurrere ad producendam visionem. Cæterum cum visio sit realiter indivisibilis, intellectus & lumen concurrunt ad visionem adæquatè adæquatione effectus; non verò adæquatione causæ. Sicuti de intellectu, & specie naturali dicitur respectivè ad indivisibilem cognitionem naturalem. Manet autem modò controversia, quomodo concurrant, & quam ex his sit ratio agendi?

## SECTIO II.

*Quomodo intellectus, & lumen concurrant ad visionem.*

DUæ quæstiones sub eodem titulo continentur, ut ex sententiarum diversitate constabit. Prima sententia docet lumen ita concurrere, ut sit tota ratio agendi: intellectum verò ita ut sit causa principalis, & lumen causa instrumentalis, quæ licet contradictoria videantur, ut postea expendemus, acriter tamen defenduntur à secō

à ferè omnibus Thomistis, quos sequitur Gonetus tom. 1. disp. 3. de Lumine gloriae. Secunda sententia docet lumen gloriae esse duntaxat dispositionem, sine qua non operabitur intellectus visionem beatificam: intellectum verò esse totam rationem agendi. Ira Aureolus, & Bachonius, quem Bachonistae, alii quaedam Recentiores sequuntur. Tertia sententia tenet intellectum, & lumen concurrere effectivè ad visionem, ita ut neque solum lumen, neque solus intellectus sit tota ratio agendi, sed conjunctum ex intellectu, & lumine. Ita Scorus, quem Scoristae sequuntur apud Mastr. tom. 1. disp. 6. q. 4. art. 3. Ex. Doctor, omnesq; nostri, quos citat & sequitur Ripalda disp. 30. de Ente supern. sect. 2. licet non conveniant in assignanda causa principali; nam P. Elize utriq; tribuit rationem causae principali: Ripalda tribuit gratiae quoad denominationes, quae solum ipsi comperunt. Ex. Doctor tribuit rationem causae principalis lumini elevanti: intellectui verò elevato rationem causae instrumentalis. Ut autem duas istas quaestiones per assertiones singulas dissolvamus.

341. Aff. 1. contra 1. & 2. sententiam, neq; lumen se solo, neq; intellectus se solo est tota ratio agendi: bene verò aggregatum ex virtute obedientiali elevata, & comprincipio superno elevante, quod brevitas causa vocamus intellectum, & lumen; licet in virtute obedientiali comprehendatur species, quando objectum se ipso non concurret immediatè objectivè ex dictis à n. 333. Prob. jam Conclusio sic explicata. Illa est ratio agendi visionem, quae est virtus immediatè productiva visionis: atqui neque solus intellectus, neque solum lumen, est virtus immediatè productiva visionis: bene verò aggregatum ex virtute obedientiali, & principio superno elevante; ergo neque solus intellectus, neque solum lumen, sed aggregatum ex utroq; est tota ratio agendi visionem modo explicato. Major, & consequentia tenent. Minor, in qua stat tota difficultas, prob. Neq; solus intellectus, neq; solum lumen est tota ratio agendi actum supernaturalem, ad quem lumen elevat intellectum, sed aggregatum ex obedientiali virtute, & lumine: atqui visio est actus supernaturalis, ad quem lumen elevat intellectum; ergo &c. Minor, & consequentia tenent: major constat ex Trident. sess. 6. c. 5. ubi de homine recipiente principium supernum ad actus suos eliciendos, ita habet: *Ut qui per peccata à Deo averfi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratia liberè assentiendo, cooperando disponantur.* Atqui hominè cū comprincipio superno cooperari planè significat & lumen, & virtutem obedientiale simul operari; aliter quippe non daretur cooperatio; ergo &c. Quapropter sub principio elevante comprehendimus etiam speciem, si quandoque sit supernaturalis, aut objectum divinum, si immediatè ratione sui absq; specie concurrat, de quo postea.

344. Resp. 1. ex Thomistis. Solum lumen concurrere ut virtutem proximam, sive ut quo; in

tellectum verò ut virtutem purè remotam, sive ut quod; adeoq; totam rationem agendi stare in solo lumine. Contra tamen 1. Trident. in verbis cit. n. super. Definit contra Luth. & Calvinum, liberum hominis arbitrium cooperans cū principio superno non se habere merè passivè, ut definitur etiam eadem sess. 6. can. 4. cit. n. 323. atqui si intellectus concurreret solum remotè, & ut quod, se haberet merè passivè; ergo &c. Prob. min. Illud se habet merè passivè, quod recipit intellectionem, eam autem non producit, neque est radix principii quo influentis, neq; cū principio producente constituit suppositum producentis: sin autem, assignent adversarii, quid aliud sit merè passivè se habere: atqui ita se haberet intellectus, si visionem immediatè non produceret; ergo &c. Contra 2. Ex eo, quòd visio producta sit supernaturalis, lumen supernaturale nò concurrat ad illam remotè, sed proximè, ergo ex eo, quòd visio producta sit vitalis intellectus, qui est potentia vitalis, non concurrat ad illam remotè, sed proximè. Contra 3. Lumen neq; constituit cūm intellectu unum suppositum, neq; procedit ab intellectu tanquam à virtute, in qua radicanur, sicut apud adversarios procedunt potentiae ab animà, in qua radicanur, & frigiditas ab aqua, ratione cujus radicationis dicitur apud modernos Thomistas aqua producere frigiditatem, & anima intellectionem; ergo si intellectus nò producat immediatè visionem, nullus manet titulus, ratione cujus verè dicatur producere; atq; adeò ad illam intellectionem merè passivè se habere,

343. Resp. 2. Ex Baconio, & Aureolo, neq; intellectum, neq; lumen se habere merè passivè; quia intellectus se habet ut tota ratio immediatè producendi, & lumen ut ratio immediatè disponendi. Contra tamen 1. si intellectus se haberet ut tota ratio producendi, non esset verum dicere, quòd gratia Dei producit cum homine: sed solum esset verum dicere, quòd homo producit cum gratia; sed hoc est contra Scripturam 1. Cor. 15. ubi Paulus ait: *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia DEI mecum;* ergo &c. Contra 2. Intellectus se solo nò continet perfectionem supernaturalitatis sepe in visione, quam quidem perfectionem lumen continet; ergo lumen non solum se habet ut dispositio, sed etià ut partialis, & verà causa visionis. Contra 3. Comprincipium supernaturale verè dicitur agere actum supernaturalem, atq; adeò visionem; ut constat ex Trident. & Paulo citatis: atqui pura dispositio nò dicitur agere effectum, approximatio enim ignis nò dicitur producere ignem, aut comburere; ergo &c. v. n.

344. Probat. 2. Conclusio contra praedictos. Si homo nullam haberet vim activam propriam, & essentialè sibi ad cognitiones naturales totaque vis activa consisteret in specie impressa; dici non posset hominè verè & propriè agere cognitiones naturales, licet ipsi forent intrinsicae species; ergo si intellectus nullam haberet vim activam propriam, & essentialè sibi ad visionem supernam, sed tota staret in lumine: aut econtrà, si lumen nullam habe-

rer vim activam, sed rota staret in intellectu, non posset intellectus dici verè & propriè agere visionem, licèt illi esset intrinsecè lumen; neque lumen posset dici verè, & propriè agere visionem, licèt esset intrinsecum intellectui. Consequentia patet, quia sicut in eo casu species, quamvis foret intrinseca homini, reipla non esset aliquid hominis, aut ab ipso raditatum; sed quid extraneum, & objecti proprium: eodem modo se haberet lumen respectu intellectus, & econtrà. Quinimò cum lumen sit supernaturale, esset intellectui magis extraneum; ergo &c. Conf. 1. ad homines contra Thomistas: per vos est impossibilis extrinseca elevatio per auxilium extrinsecum; quia tota virtus esset extranea: nec homo posset dici agere, cum virtute careret; sed etiam esset homini extranea illa species, & intellectui quoque esset extraneum, five indebitum lumen; ergo &c. Conf. 2. Intellectus non se approximat objecto, licèt sit ipsi intrinseca approximatio objecti, five species, quæ est tota ratio approximandi: ergo neque intellectus produceret, licèt sit ipsi intrinsecum lumen, quod est tota ratio producendi.

345. Prob. 3. Principium supernaturale concurrans cum intellectu ad actus supernaturales viæ, non est tota ratio agendi eos actus in via: ergo lumen concurrans cum intellectu ad producendam visionem in patria, non est tota ratio agendi visionem in patria. Consequentia tenet, quia ratio, propter quã adversarii negant intellectui virtutem immediatam agendi est supernaturalitas effectus producti. Antecedens verò probat. Intellectus cum comprincipio supernaturali producens actus supernaturales meritorios in via, verè, & propriè laborat, atque experitur in se conatum, & defatigationem; ut constat experientia, & docet Paulus citatus n. 343. per illa verba: abundantius illis omnibus laboravi: & habet etiam Tridentin. sess. 14. c. 2. dicens: Ut merito pœnitentiã laboriosius quidã baptisimus à SS. PP. dictus fuerit. Atqui si non ageret immediatione virtutis, non ita laboraret in salutarium actuum elicentia, neque experiretur conatum, & defatigatione: etenim virtus, quæ non impenditur in effectum, non defatigatur in effectus productionem; neque ad producendum effectum opus est, ut conatum præster; ergo &c.

346. Conf. Ponamus duos Angelos in eodem loco Gabrielem, & Michaëlem, & eundem habitum charitatis in utroque: eliciat actum charitatis Gabriel, & non Michaël: ecce virtus supernaturalis agendi, quæ est in Michaële producitur actum charitatis: hæc omnia possibilia sunt. Modò sic: licèt eadem ipsissima virtus, quæ est in Michaële, se totam impendat in actum charitatis, Michaël non dicitur laborare, neque agere; quid ergo additur in re, quando dicitur Michaël laborare in casu nostro? Etenim si nihil in re additur, sicut modò non dicitur operari Michaël, nec dicitur Gabriel operari. Rursus in eo casu nec Michaël deberet desistere ab aliis actibus, nec posset sentire conatum proprium, nec ullam defati-

gationem, aut tedium, de quo nulla alia potest esse ratio, nisi quòd ipse non impendat in opus nativam virtutem; ergo &c. Confirmat. 2. Ridiculum omnino esset in tali casu excitare immediatè Michaëlem, & consiliis ipsum impellere ad operandum, quandoquidem licèt in ipso sit virtus operativa, non est ipse virtus operativa; nec virtus applicativa virtutis, cum res naturalis in sententia adversariorum non possit applicare supernaturalem. Ex quò ridiculum esset excitare homines ad bene operandum supernaturaliter in via: sed hoc est absurdum; ergo &c. Omitto aliam rationem ex libertate desumptam, quam quisque facile poterit inferre, quamque contra Lutherum, & Calvinum, atque contra istam Thomistarum urgebimus latè anno sequenti in Tractatu de Gratia.

Prob. 4. Actus habentes formalitates, & prædicata, ratione quorum exigunt produci tanquam à virtute immediata, & ab intellectu, & à lumine non procedunt tanquam à tota ratione agendi à solo intellectu, vel à solo lumine, sed ab utroque. Atqui se habet ita visio intuitiva Dei; ergo &c. Probat. minor. Visio intuitiva Dei est per identitatem & vitalitatis, & supernaturalis: atqui ratione vitalitatis non minus exigit procedere ab intellectu immediatè effectivè, quàm ratione supernaturalitatis exigit effectivè immediatè procedere à lumine: etenim sicut lumen non est potentia vitalis, nec vivens; ita intellectus non est potentia supernaturalis, nec elevans: atqui visio ratione vitalitatis debet effectivè, & immediatè procedere à potentia vivente per ipsam, & ratione supernaturalis à principio intrinsecè superno; ergo &c. Conf. Actus visionis non minus est vitalis respectu intellectus, quàm actus meritorius viæ sit electio respectu voluntatis: atqui actus meritorius viæ, quia est formalis electio respectu voluntatis debet phylicè, & immediatè procedere à voluntate: nec potest voluntas respectu illius merè passivè se habere, ut contra Lutherum, & Calvinum definitum est à Tridentino ex n. 323. ergo &c.

Prob. 5. Ex D. Thoma 1. Part. q. 12. art. 5. in corp. dicente: Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, ut ostensum est, oportet, quòd ex divitiis gratia superacrescat ei virtus intelligendi: & hoc augmentum virtutis intellectivæ, illuminationem intellectus vocamus: sicut & ipsum intelligibile vocatur lumen, vel lux; & istud est lumen, de quo Apoc. 21. Quòd claritas Dei illuminabit eam; scilicet societatem Beatorum Deum videntium; & secundum hoc lumen efficiuntur Dei formes, id est Deo similes, secundum illud 1. Joan. 3. Cum apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Modò sic: ex D. Th. ad eliciendam visionem, augetur intellectui virtus, ut intellectus sit potens illam elicere; ergo non sola virtus superveniens, sed simul etiam virtus, quæ præerat in intellectu, producit immediatè visionem. Pareat

consequentia; quia si sola virtus superveniens esset tota ratio agendi, non esset verum, quod cresceret, seu augetur virtus productiva: sed potius esset verum dicere, quod veniret tota virtus productiva. Vide num. 358. Confir. Ex eo, quod species impressa habeat virtutem cum intellectu ad producendam naturalem cognitionem, neque est tota ratio agendi naturalem cognitionem, neque supponit in intellectu totam rationem agendi, sed constituit rationem agendi adaequatam, resultantem ex specie, & intellectu; ergo pariter in casu nostro. Responsiones, quae dari possent, manent jam superius impugnatae.

349. **Assero 2.** Cum Exim. Doctore: Lumen gloriae est causa principalis; intellectus vero est causa instrumentalis visionis. Prob. 1: Quando duae causae partiales concurrunt ad effectum, illa est causa principalis, cui praecipue tribuitur effectus; & quae suo nomine operatur, quando causa instrumentalis non quidem nomine suo, sed nomine principalis agit: atqui lumini principalis, quam intellectui, tribuitur visio beatifica: simulque intellectus agit nomine luminis elevantis: lumen vero agit nomine suo; ergo &c. Prob. min. ex Paulo cir. num. 343. ubi ait: Non ego autem; sed gratia Dei mecum. Quibus in verbis principalis attribuit effectum gratiae, quam virtuti elevatae, significans gratiam agere nomine suo: virtutem autem elevatam nomine gratiae elevantis: aliter non dixisset: non ego autem, sed gratia Dei mecum; sed potius dixisset, non autem gratia Dei; sed ego cum gratia Dei; ergo &c.

350. Prob. 2. & explicatur conclusio. Causa instrumentalis ea est, quae non suo, sed alterius nomine agit; quod evenit multipliciter: primum solum agendo per virtutem motu acceptam vel physice, vel moraliter: sic ferra est causa physica instrumentalis; Prorox vero est causa moralis instrumentalis. Secundò solum agendo aliquid praevium ad finem principaliter intentum: sic calor disponens ad ignem est causa instrumentalis ignis. Tertio agendo obedientialiter per auxilium indebitum; unde potius effectus tribui debet danti, quam recipienti exaltationem proportionantem; in ipsis enim terminis implicat, quod causa obedientialis ut obedientialis, & non nisi obedientialiter potens operari, agat nomine suo; sive ut principalis: quapropter lumen est causa principalis: intellectus vero est causa instrumentalis.

351. 4. Agendo per influxum sibi debitum, sed ex intentione supplendi defectum principalis: sic apud Philosophos species impressa vocatur causa instrumentalis, quia concurret ex intentione supplendi defectum objecti: intellectus vero cum anima indentificatus producat intellectionem, dicitur causa principalis, licet se solo, & absque influxu speciei non contineat totam virtutem productivam effectus, ut constat à num. 325. Modò sic: admissa nostra explanatione de causa instrumentali, lumen est causa principalis, & intellectus est causa physica in-

strumentalis visionis: atqui explicatio nostra admitti debet, quandoquidem comprehendit, & explicat omnem causam principalem contrapositam instrumentali, & e contra: quod non explicat aliae expositiones, quae ferri solent, ut constabit singulas expendent; ergo &c.

352. Prob. 3. S.S.P.P. saepissimè liberum arbitrium appellant instrumentum divinae gratiae, & simpliciter negant illud esse agens principale in negotio salutis. & D. Thomas 2. 2. quaest. 173. art. 2. ait: *Movetur mens Propheta à Spiritu Sancto, sicut instrumentum.* Ergo à fortiori idem dicendum est de intellectu creato respectu visionis beatificae, vid. num. 358. Confir. 1. Causa principalis secundum D. Thomam est illa, quae operatur per propriam formam proportionatam cum effectu: instrumentalis autem, quae operatur per virtutem alienam, & derivatam à causa principali, atqui intellectus creatus non influit in visionem creatam per formam, aut virtutem propriam, sed alienam, ipsique indebitam, & extraneam; nimirum per lumen gloriae à Deo infusum: ergo intellectus non est causa principalis, sed instrumentalis; solumque lumen gloriae est causa principalis visionis. Confir. 2. ad homines contra Thomistas: lumen gloriae apud ipsos est tota ratio agendi visionem; ergo lumen gloriae est causa principalis visionis.

353. Resp. Gonertus, quod, quando S. S. P. P. appellant liberum arbitrium instrumentum divinae gratiae, loquuntur de Instrumento improprie sumpto, & in generali quadam acceptione, quod non extrahit illud à ratione causae principalis. Instrumentum enim; ait; dupliciter sumi potest: & proprie quidem, & improprie, ut colligitur ex D. Thoma quaest. 24. de verit. art. 1. ad 5. & 3: contra Gentes cap. 100. Contra tamen 1. Licet Instrumentum aliquando sumi possit improprie; in casu nostro testimonia S. S. P. P. non possunt intelligi improprie, sed proprie, & rigorose; atque adeò de instrumento proprie sumpto; ergo. Resp. data est contra D. Thomam, & S. S. P. P. Prob. ant. Testimonia S. S. P. P. intelligenda sunt in rigoroso, & proprio sensu, quando nulla adest ratio contrarium: aliter ad omnia testimonia P. P. responderè possemus eos loqui improprie, quod magna esset irreverentia, & maximum absurdum in Theologia: sed in praesenti nulla datur ratio; ne sumantur in sensu proprio, & rigoroso; quinimò ratio cogit, ut ita accipiantur, quandoquidem S. S. P. P. numquam dicunt intellectum esse causam principalem, & gratiam instrumentalem; sed e contra semper constantissimè loquuntur, dicentes gratiam esse causam principalem; ergo &c. Contra secundò. Nulla adest ratio, ne dicamus, intellectum operari visionem supernaturalem, ut causam obedientialem, cui visio illa omnino indebita est, ut constat à num. 131. Lumen vero non operari ut causam obedientialem, neque ut causam, cui visio sit indebita, aut supra ipsius jura: intellectus enim eger lumine ad visionem, quam non exigit: lumen vero

eger intellectu ad visionem, quam exigit; ergo nulla est ratio, ne locutiones S. S. P. P. in sensu rigoroso accipiantur.

354. **Contra 3.** Intellectui etiam adiuto per lumen gloriæ non debetur visio ratione sui, sed ratione luminis gloriæ, quod quidem est tota ratio, cur debeat, vel dicatur deberi toti complexo; ad eum modum, quo materia est ratio, cur totus homo dicatur materialis: & anima est ratio, cur totus homo dicatur spiritualis: cum hoc autem discrimine, quod anima non advenit supra existentiam materiæ; sicuti advenit lumen supra existentiam intellectus: atqui eo præcisè, quod visio debeat intellectu non ratione sui, sed ratione luminis, quod est supra omnem ordinem naturalem, & existentiam intellectus, nequit intellectus se habere ut causa principalis, sed ut causa instrumentalis visionis, non quidem latè, sed rigorosè sumptæ; ergo &c. **Contra 4.** Applicatio omnipotentiae ad producendam visionem non advenit complexo ex intellectu, & lumine ratione existentiae intellectus, sed ratione existentiae luminis: etenim ex duabus concausis in eandem actionem concurrentibus, ea est propriè principalis, & elevans, cui duo competunt; primum jus ad consortium cum altera comparte virtutis. Secundum jus ad operationem in linea physica saltem moraliter in consortio alterius principii. Istitis enim positis altera superioris est ordinis in agendo, ac proinde ipsi, & non comparati debitus est concursus causæ primæ ad effectum; unde ipsi detur compars, non econtra. Quapropter siconcausæ se mutuo exigant, vel in exigant mutuo, nec una præ altera sit ratio, cur complexo debeat operatio, ut evenit in duobus ignibus se per accidens atemperantibus ad tertium; aut in intellectu, & specie, aliisque causis mutuo subordinatis inter se, neutra dicitur elevata, vel elevans: beneverò si concurrant duæ supra positæ conditiones, quæ concurrunt in lumine; ergo &c. Ex dictis

355. **Fit 1.** Intellectum (idem de aliis similibus causis) habere virtutem inchoatam ad visionem beatificam, quæ quidem inchoata virtus jure dicitur potentia obedientialis, nec absolute dicenda est potentia naturalis. Ratio est, quia ista vox *potentia naturalis* secundum significationem, quam habet in schola, talis dicitur, quatenus respicit terminum naturalem: atqui virtus inchoata non dicitur talis, secundum significationem, quam habet in schola, prout respicit terminum naturalem, sed prout respicit terminum supernaturalem; ergo virtus inchoata dicenda non est potentia naturalis, sed potentia obedientialis. Quapropter potentia obedientialis, & potentia naturalis, licet sint idem secundum rectum, sunt diversissimæ secundum obliquum, a quo desumunt appellationem: ad eum modum, quo virtutes diversas accipiunt denominationes secundum diversos actus, quos eliciunt, ut dixi de Vir. Poen. à num. 63. Unde intellectus dicendus est causa partialis respectu

visionis, non quidem causa partialis naturalis, sed causa partialis obedientialis.

**Fit 2.** Contra Alvarez, aliosque Thomistas, gratiam determinari ad agendum non quidem à voluntate nudè sumptæ, bene verò à voluntate instructa, & operante cum gratia, se atemperanti voluntati quoad munus determinandi; Ratio est. *Quia uti, est applicare aliquid principium actionis ad actionem*, ut habet S. Thomas 1. 2. quæst. 16. art. 1. Sed voluntatis instructæ cum gratia, est uti gratia ad operandum, ut habet idem D. Thomas Lect. 1. ad 2. Corinth. 13. & 1. part. quæst. 62. art. 3. ad 2. Idemque docent Concilium Senonense, & alii P. P. apud Ripali disp. 110. Sec. 10. ergo voluntatis instructæ gratia est applicare gratiam ad actionem, ac proinde & munus determinandi: insuper actio salutaris procedens à voluntate, & à gratia, est electio voluntatis, & non gratiæ, sed electio non est ejus, qui determinatur ab alio cooperante, sed ejus, qui determinat; est enim ejus, cujus in potestate est, quod fit, vel non fit actio; ergo voluntatis, & non gratiæ est munus determinandi ad salutarem actionem. Rursus electio solum competit potentiae ad utrumque, indifferenti, cujus libito relinquatur determinatio: sed hoc voluntati convenit instructæ gratiæ, & non gratiæ ad actus salutare non potenti prædeterminare; ergo &c. Verum de his latius in Traç. de gratia.

### SECTIO III.

#### *Solvuntur opposita.*

**O**bjic. 1. Contra 1. Si lumen gloriæ non est tota ratio agendi, intellectus haberet virtutem inchoatam ad visionem: sed talis inchoata virtus est chymærica; ergo &c. Prob. min. ex D. Thoma quæst. un. de virt. in Com. art. 10. ad 2. ubi ait: *Respectu eorum, quæ facultatem nature non excedunt, habet homo à natura non solum principia receptiva, sed etiam principia activa: respectu autem eorum, quæ facultatem nature excedunt, habet homo à natura aptitudinem ad recipiendum.* Atqui aptitudo ad recipiendum non est potentia activa, sed passiva; ergo ex D. Thoma non datur in creaturis potentia obedientialis activa respectu actuum supernaturalium nature indita; sed passiva tantum, & receptiva formarum supernaturalium, quibus mediantibus possit actus supernaturales elicere. Confir. 1. Ex D. Thoma 1. 2. quæst. 109. art. 1. dicente: *Unaquæque forma indita rebus à Deo habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem, ultro autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam.* Atqui hoc esset falsum, si in rebus creatis daretur potentia obedientialis immediate productiva actuum supernaturalium; ergo &c. Confir. 2. ex eodem D. Thoma 3. part. quæst. 62. art. 4. & q. 27. de verit. art. 4. pluribusque aliis in locis, docente, in Sacramentis Novæ Legis residere virtutem

tem, intrinsicam ad producendam gratiam, quam virtutem dicit esse specialem, incompletam, fluentem, & transeuntem, ac reductivè pertinere ad prædicamentum qualitatis, in quo ponitur gratia sanctificans: atqui si in Sacramento Novæ Legis daretur potentia obedientialis gratiæ productiva, inutilis esset hæc virtus specialis transiens, & fluens; ergo &c.

358. Resp. conc. maj. & neg. min. Ad prob. conc. maj. in sensu D. Thomæ, & dist. min. aptitudo ad recipiendam adæquatam rationem agendi non est activa, sed passiva conc. ad recipiendum inadæquatam virtutem agendi, sive incrementum virtutis, quo elevatur virtus receptiva ad agendum, per virtutem inadæquatam agendi, quam suscipit; talis quippe aptitudo non est activa, sed passiva neg. min. & consequentiam; quæ quidem est contra D. Thomam in sensu distinctionis nostræ loquentem, ut ex n. 348. Tum etiam in 4. dist. 8. q. 2. a 3. ad 4. ubi ait: *sicut creatura inest potentia obedientia, ut in ea fiat, quicquid creator disposuerit, ita etiam ut ea mediante fiat, quod est ratio instrumenti.* Ad 1. confirmationem conc. maj. & neg. min. quia potentia obedientialis nequit in effectum prodire absque principio elevante; atque adeò virtus inchoata talis est, ut sine virtute superaddita operari non possit effectum, quem respicit. Ad 2. confirmat. dist. maj. quam dicit esse spirituales, & elevantes omitto, obedientialem, & elevantem neg. maj. & dist. min. neg. consequ. Quia virtus inchoata non est virtus elevans, sed elevata; quæ sine elevante nequit producere effectum, utpote inchoatæ virtuti omnino indebitum, & debitum virtuti elevanti. Unde ex hac doctrina D. Thomæ à longè petitur argumentum contra nostram sententiam. Dixi etiam omitto; quia licet quandoque D. Thom. indicet Sacramenta physice causare gratiam: quandoque etiam indicat nõ physice, sed moraliter eam causare, ut dixi in tract. de Sacramento. Vide num. 399.

359. Objic. 2. Instando simul solutionem. Virtus inchoata à nobis admittitur in intellectu respectu visionis, simul esset entitativè naturalis, & supernaturalis: atque adeò chymica: ergo non in intellectu, sed in solo lumine stat tota ratio agendi visionem. Prob. ant. imprimis ea virtus esset entitativè naturalis; cum sit de essentiali rei naturalis constitutivo: deinde esset entitativè supernaturalis; cum potentia specificetur ab actu, in quem ordinatur, atque adeò si ordinatur ad actus supernaturales erit entitativè supernaturalis; ergo &c. Conf. Virtus, quæ simul esset finita, & infinita est chymica: atque illa virtus inchoata simulet esset finita, & infinita: esset quidem finita, cum esset creata; esset autem infinita, cum haberet potentiam ad producendum in infinitum; ergo &c.

360. Resp. neg. ant. ad probationem dist. antecedens quoad primam partem: esset entitativè naturalis ad operandum naturaliter nego, ad o-

perandum obedientialiter conc. ant. deinde dist. secundam partem ant. esset supernaturalis quoad denominationem provenientem ab operatione conc. quoad entitatem neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia illa virtus naturalis non operatur, nisi ut conjuncta cum virtute supernaturali elevante; atque adeò non operatur nisi ut supernaturalizata. Qua de causa licet entitativè sit naturalis, inesse potentiæ operativæ, & denominativè supernaturalis, & constituitur cum comprincipio aggregatum supernaturale, & excedens vires naturæ: ad potentiam enim supernaturalem non requiritur, quod omnia ipsius constitutiva sint supernaturalia, sed fat est, quòd aliquod constitutivum sit supernaturale ordinans reliqua ad supernaturalem operationem, ut contingit in nostro casu. Ad Confir. conc. maj. & neg. minorem; quia virtus infinita non est illa, quæ dum existat, potest in infinitum operari, aliter anima rationalis potest, dum existat, elicere actus suos naturales per totam æternitatem, esset infinita virtus naturalis. Requiritur ergo ad infinitatem, ut res ex suis intrinsicis sit illimitata: cum autem creatus intellectus illimitatus non sit, exinde neque esset infinitus, sed revera finitus.

Objic. 3. Colligendo plura absurda, quæ ex potentia obedientiali intellectus nascuntur: nam si detur ista potentia obedientialis in natura, dabitur in natura vis quædam initialis immediate productiva effectuum supernaturalium; atque adeò erunt in natura initia gratiæ, & semina quædam rerum supernaturalium, quod fuit error Semipelagianorum, ut videri potest in Collat. 13. Abbat. Cheremonis; ergo &c. Confir. 1. Si detur hæc potentia obedientialis in homine frustra ponuntur habitus supernaturales infusi ad eliciendos actus fidei, spei, & charitatis: frustra ponitur in Sacerdote Character ad consecrandum Corpus Christi, vel ad absolvendum à peccatis: inutile eriam erit lumen gloriæ in Beatis ad videndum Deum: sed hæc omnia sunt absurda; ergo &c. Prob. maj. frustra sit per plura, quod potest fieri per pauciora: sed per solam potentiam obedientialem, & concursum Dei supernaturalem homo potest hæc omnia præstare, & illos actus elicere; ergo superfluum erit ponere in justis habitus infusos, Characterem in Sacerdotibus, & lumen in Beatis. Confir. 2. Illa potentia obedientialis tollit necessitatem gratiæ sufficientis, & multum favet Janzenio, & ejus sectatoribus; gratia enim sufficiens solum admittitur à Theologis, ut reddat voluntatem proximè, & completè potentem ad eliciendos actus supernaturales, præsertim pro eo tempore, & loco, quo tenetur observare præcepta supernaturalia; ergo si per solam potentiam obedientialem, & concursum simultaneum possit voluntas reddi proximè, & completè potens ad illos actus eliciendos, quare opus erit gratiæ sufficientis, & auxiliò transiente?

Confir. 3. In Concilio Tridentino Sess. 6. can.

can. 3. definitur hominem indigere gratia præveniente in ordine ad actus supernaturales: atqui si homo habet virtutem agendi proximam, & productiva actuum supernaturalium, non est cur talis gratia præveniens desideretur in potentiis elicivis eorum; sufficere enim sola gratia concomitans, seu concursus simultaneus ordinis supernaturalis, qui talem virtutem, & potentiam compleat; ergo hæc potentia obedientialis cum necessitate gratiæ prævenientis, & cum definitione Tridentini coherere nequit. Confr. 4. Si daretur in intellectu potentia obedientialis, destrueretur gratia coefficientiæ; ergo &c. Prob. ant. Non potest esse gratia illa coefficientiæ, si alicui potentia entitativè naturali sit connaturaliter debita: de ratione enim gratiæ est, quod gratis detur, & sine ullo debito: atqui gratia illa coefficientiæ, seu concursus simultaneus ordinis supernaturalis erit connaturaliter debitus tali potentiæ obedientiali, quæ est entitativè naturalis; ergo non poterit dici gratia. Prob. min. Omni virtuti activæ, quæ connaturaliter, & ab intrinseco inest alicui rei titulo connaturalitatis, debetur concursus proportionatus actui, quem respicit: v. g. virtuti illuminativæ solis, & calefactivæ ignis concursus ad illuminandum, & calefaciendum. Unde quando Deus illum denegavit igni ad comburendum tres pueros in fornace, talis denegatio fuit miraculosa, & præter cursum, & leges ordinarias divinæ Providentiæ: sed actus, quem respicit, & ad quem ordinatur potentia obedientialis est supernaturalis; ergo illi connaturaliter debetur gratia coefficientiæ, & concursus supernaturalis ad actus supernaturales eliciendos.

863. Resp. neg. ant. Quia illa virtus obedientialis non potest producere se sola aliquem actum iniciantem salutem nostram, & cui deberetur elevatio; sic enim gratia haberet initium in natura, quod quidem docebant Semipelagiani, ut ex num. 702. de Deo. Solum enim potest illa potentia obedientialis operari cum principio elevante sibi indebito, cum quo potest elicere actum supernaturalem iniciantem salutem; qui quidem actus non deberetur potentiæ, quæ elevatur, sed principio elevanti. Ut videas quantum doctrina nostra distet ab errore Semipelagianorum; est enim discrimen adeo grande, ut potius credam, adversarios nolle videre, quam quod non videant. Ad 1. Confr. neg. maj. ad probationem dist. maj. Frustra fit, quando æquè connaturaliter fieri potest, omitto: quando ita fieri non potest neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Quia in ista divina providentia principia supernaturalia habentur juxta exigentiam gratiæ, quæ fatentibus adversariis, & omnibus Theologis est quasi natura in ordine superno: cum autem connaturalius sit naturæ radicare potentias intrinsecas, quam non radicare, ut ipsi adversarii fatentur, & diximus num. 332. Exinde planè consequitur, connaturalius esse exigentiæ gratiæ, quod detur

habitus intrinseci fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum, quam quod detur competentia solum extrinseca. Ad 2. Confr. neg. ant. Quia gratia sufficiens requiritur, ut elevet potentiam obedientialem, eamque proximè potentem reddat ad actum eliciendum. Hæc autem gratia in præsentia providentia intrinseca est duplici ex titulo: primo quidem ex exigentiæ gratiæ habitus jam explicata: secundo, quia gratia sufficiens actualis stat in actibus vitalibus intellectus, & voluntatis, qui ex titulo vitalitatis sunt immanentes, & intrinseci. Quomodo ex doctrina nostra tollitur in præsentia providentia necessitas gratiæ sufficientis, & intrinsece?

Ad 3. Confr. conc. maj. & neg. min. Quia potentia obedientialis, sive virtus inchoata non est virtus proximè activa, actuum supernaturalium se sola, sed simul cum principio elevante, quo ad eos actus eliciendos indiget, & quod non exigit: atque adeo ut sit proximè expedita, superaddi debet principium supernaturale. Quomodo ergo satis erit purus concursus simultaneus, quandoquidem iste, cum sit actio, supponat jam compingentia ad ipsum prævia? Ad 4. Confr. nego ant. ad prob. conc. maj. & nego minorem: ad probationem dist. majorem: Omni virtuti activæ debetur concursus proportionatus activus, quem respicit intra suam lineam, omitto; quem respicit extra suam lineam, & solum obedientialiter neg. maj. & dist. min. nego consequentiam, ut constat ex dictis; quinimo si adversarii esse velint sui memores, tenentur doctrinam nostram omnino veram fateri; ipsi enim docent speciem impressam naturalem habere virtutem ad producendum cum compingentia elevante actum supernaturalem ex dictis à num. 333. simulque docent tali speciei nequam deberi effectum supernaturalem: unde omnia argumenta contra nos ab ipsis facta, in unico exemplo, & fallacia apparet. Quapropter ne adversarii contra se ipsos pugnent, & ne opposita doceant, tenentur potentiam obedientialem admittere, & ad nos confugere.

Objic. 4. Virtus proximè operativa est ratio continendi proximè effectum: sed adæquata ratio continendi supernaturalem effectum visionis est lumen; ergo &c. Prob. min. effectus est adæquate supernaturalis, nec ex naturali, & supernaturali mixtus; ergo virtus ipsum proximè præcontinens non est mixta ex naturali, & supernaturali, sed omnino supernaturalis. Conf. 1. ex Godoi, res superior in inferiori contineri actu non potest; ergo visio supernaturalis nequit contineri actu in intellectu naturali. Confr. 2. si visio superna contineretur in intellectu naturali, actus supernaturalis esset minus supernaturalis, quam habitus; esset enim hic illo minus naturæ indigens, atque adeo magis supernaturalis; ergo &c.

Resp. dist. maj. Virtus completa, & adæquata; conc. incompleta, & partialis, N. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ad prob. conc. ant. & neg. consequentiam. Quia licet effectus sit adæquatus

quæ supernaturalis continet perfectionem vitalitatis: adeoq; requirit causam vitalem, qualis non est habitus luminis: sic lapis, quamvis non sit prædicatum mixtum ex creato, & divino, sed prædicatum purè creatum, pendet à causa simul creata, & divina propter rationem à nobis datam. Quod idem est de millenis aliis exemplis. Nec dici potest, quòd effectus indivisibilis inadæquatè contineatur in causa inadæquata; cum ratio indivisibilitatis impediatur, ne detur inadæquatio inadæquatione effectus; sed tantum inadæquatione causæ, quæ indivisibilis non est, ut dixi num. 339. Ad 1. confirm. dist. ant. Nequit contineri in inferiori solitariè sumpto, conc. simul cum superiori concurrente, neg. ant. & conseq. Ad 2. confirmat. neg. ant. quia supernaturalitas Theologica non sumitur ex dependentia, vel independentia à re naturali, sed ex intrinseca ejus conducentia ad vitam æternam, ut constat à n. 385. De Virtut. Pœnitent. Cum autem res habens dependentiam à re naturali possit habere majorem conducentiam ad vitam æternam, quam altera non dependens, ut patet in unione hypostatica conducente magis ad vitam æternam, quam omnes nostri habitus supernaturales; simulque pendente ab humanitate naturali, exinde res pendens à prædicato naturali potest esse magis supernaturalis, quam altera independens.

367. *Objic. 5.* Actio naturalis nequit attingere supernaturalem terminum, etiam in consortio actionis alterius supernaturalis; ergo neque potentia naturalis. *Confirmat. 1.* Conclusio sequitur debiliorem partem; ergo etiam effectus. *Confirmat. 2.* Causa meritoria naturalis, nec particulariter disponere potest, aut causare supernaturalem affectum etiam in consortio alterius causæ supernaturalis meritorie; ergo neque causa physica naturalis. *Resp.* Omitto antecedens, quod plurimi negant, & neg. consequentiam. Ratio discriminis est, quia actio, cum sit ultima ratio determinandi, non agit nisi prout est in actu; atque adeò nihil ipsi est possibile, nisi id, quod, quando existit, est ipsi actuale: at virtus causativa effectus non est ultima ratio determinandi; sed est potens concurrere vel per se solam, vel simul cum altera nobiliore virtute ad effectum; ad quem ipsa existens se sola non potest; ideoque potest existere sine effectus. Ad primam confirmationem omitto antecedens, & neg. consequent. Ratio est, quia præmissæ non movent ad conclusionem, nisi prout representant identitatem extremorum cum medio, in quo stat motivum conclusionis: cum autem identitas cum medio non possit representari magis infallibiliter, quam infallibilis sit unaquæque ex præmissis, exinde conclusio non potest esse nobilior, quam unaquæque ex præmissis: at verò causa physica non movet representando talem identitatem, sed assimilando sibi effectum quantum potest, ipsi communicando perfectiones in se contentas composibiles in effectus, ut

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

patet in elevatione ponderis correspondente in calu duorum agentium, ad mensuram fortioris, quod prævalet in influxu.

Ad secundam confirmationem conc. antecedens, & neg. consequentiam. Quia causa meritoria causat effectum excitando sui complacentiam retributivam, quæ non fiat sine proportionè intrinseca, atque intrinseca rei ordinatione ad vitam æternam, ut ex n. 385. supra citat. de Virtut. Pœnitent. Hæc verò ordinatio, aut proportio naturæ cum supernis implicat: at causa physica causat effectum per actionem à se distinctam, ad quam eliciendam potest ex elevanti principio, quod supponit, essentialiter venire proportio. Exinde omne præmium, cum sic moraliter æstimabile, est moraliter partibile, atq; duabus actionibus meritoriis, assignari moraliter potest pars sui præmii, cum autem omnino implicet, quòd actioni naturali possit excellencia sua præmium supernaturale competere, ideo neq; competere illud potest in consortio actionis supernaturalis meritorie. At in causis physicis sequi non potest absurdum hujusmodi, cum physica indivisibilium divisibilitas implicet.

*Obj. 6.* Si natura ea vi productiva polleret, haberet connexionem cum ente superio, & jus ad ipsum, & consequeretur ad comprincipia, quo totus elevationis ordo everteretur: ergo non habet potentiam obedientialem, aut inadæquatam rationem agendi. *Conf. 1.* Si haberet talem inchoatam virtutem, effectus salutis inchoaretur in natura, cum omnis virtus productiva sit aliqua sufficientia ad effectum: sed hoc implicat; ergo &c. *Conf. 2.* Intellectus independenter à gratia, haberet suam virtutem secundum indentificatam: ergo haberet virtutem ad inchoandam salutem. *Resp. neg. ant.* Quia natura, cum per virtutem obedientialem non exigeret neque effectum, neque dispositiones ad illum, neque comprincipia, quibus potens constitueretur, non posset ipsi effectus supernaturalis deberi, atque adeò non haberet connexionem, sed ordinabilitatem obedientialem ad ipsum: quæ quidem juxta plures Philosophos, & Theologos valde diversa est connexionem; quinimò quamvis haberet connexionem cum ente supernaturali ut possibili, non haberet connexionem cum ipso ut actuali, ex dictis n. 381. De Virt. Pœn. quo tota argumenti vis evanescit.

Ad 1. confirm. dist. maj. Inchoaretur in natura ad naturalem ordinem depressa, neg. in natura, ut elevata, & supernaturalizata, & prout cum supernaturali comprincipio operante, conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Exinde ad 2. confirmationem dist. ant. haberet suam virtutem ad eliciendū, aut inchoandum se sola effectum supernum, neg. ad eliciendum, & inchoandum simul cum comprincipio elevante, C. ant. & N. conf. Neque refert, quòd effectus sit intrinsecè supernaturalis, ne contineri possit in comprincipio constituto ex partiali virtute non intrinsecè supernaturali: sic apud adversarios à principi

R r pio

pio non vitali, v. g. Specie impressa, oritur actus vitalis; à principio materiali, v. g. Phantasmate oritur species spiritualis; à principio habituali, v. g. Lumine gloriæ, non cognoscitivo, oritur effectus non quidem habitualis, sed actualis, & cognoscitivus.

371. Objic. 7. contra 2. ex Gonet. Causa instrumentalis ex D. Thom. q. 24. de Veritat. art. 1. ad 5. *Est illa, quæ ita movetur ab aliquo agente extrinseco, ut tamen se ipsam à principio intrinseco non moveat, ut constat in ferra, malleo, aliisque instrumentis artificialibus: sed intellectus creatus lumine gloriæ perfusus non ita movetur à Deo ad visionem beatificam, ut seipsum à principio intrinseco non moveat; ergo non concurrat ad illam per modum instrumenti, sed per modum causæ principalis. Major pater, minor prob. Intellectus videns Deum vitaliter operatur, & vivit vita æterna, & beata; sed de ratione causæ vitalis vitaliter operantis est, quod se moveat ab intrinseco, ut docent Philosophi in libris de Anima; ergo &c.*

372. Resp. neg. maj. Est enim impostura, quam dat Gonetus D. Thom. Nam D. Thomas loco ab adversario adducto nequaquam docet causam instrumentalem non posse à se ipsa moveri: sed potius docet oppositum: en ejus verba: *Ad quintum dicendum, quod instrumentum dupliciter dicitur: uno modo proprie: quando scilicet aliquid ita ab altero movetur, quod non confertur ei à movente aliquod principium talis motus, sicut ferra movetur à carpentario: & tale instrumentum non est expertus libertatis: Alio modo dicitur instrumentum magis communiter, quidquid est movens ab alio motum, sive sit in ipso principio sui motus, sive non: & sic ab instrumento non oportet, quod omnino excludatur libertatis ratio, quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen se ipsum movet: & ita est de mente humana. Quibus profecto verbis nequaquam docet, liberum arbitrium esse causam principalem actus supernaturalis, sed potius docet esse causam instrumentalem, licet distinctam à ferra, & malleo, non se moventibus, quod jam alibi docuerat, ut constat ex n. 352. & 358. Cæterum his omittis*

373. Resp. 2. Dist. maj. ut tamen se ipsam à principio intrinseco non moveat, neque agat nomine suo, conc. & agat nomine suo, neg. maj. & dist. min. neg. conf. Ad prob. dist. maj. vitaliter operatur, si habeat virtutem intrinsecam obedientialiter operativam vitaliter, C. si non habeat, neg. maj. simulq; suppositum falsum, quod tunc Deum videat; & dist. min. de ratione causæ vitalis, reverà vitalis, C. chymericè tantum vitalis, N. min. & conf. Ratio est, quia si intellectus non haberet virtutem intrinsecam obedientialem, ut simul cum comprincipio elevante visionem produceret, sed tota potius ratio agendi staret in lumine intellectus, ad illam visionem non se haberet operativè, sed tantum passivè: unde neque videret, neq; viveret per illam, ne-

que esset non modò causa principalis actus, verum neque activa instrumentalis. Ut videas, quantum robor habeat hæc adversarii ratio fundamentalis.

Obj. 8. De ratione instrumenti propriè sumpti est, ut eleveretur extra latitudinem sui objecti adæquati, ut constat in aqua Baptifimali, quæ elevatur ad producendam gratiam, quæ est extra latitudinem adæquatam cujuscumque agentis creati: sed intellectus creatus in visione beatifica non elevatur extra latitudinem sui objecti adæquati, cum per actum naturalem possit Deum attingere; ergo &c. Conf. Instrumentum propriè sumptum neq; habet virtutem proximam, neq; radicalem ad effectum causæ principalis; aqua enim non habet virtutem radicalem ad producendam gratiam, neque ferra ad scindendum artificiosè; sed intellectus creatus habet saltem virtutem remotam ad videndum Deum; ergo &c.

Resp. dist. maj. Ut eleveretur extra latitudinem sui objecti adæquati omnimodè accepti, N. aliquomodò accepti, conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Ratio est, quia nulla res potest elevari ad producendum, quin effectus productus aliquomodò sit intra latitudinem objecti adæquati talis rei: res enim, quæ elevatur, vel habet connexionem cum illo objecto ut possibili, vel saltem obedientialem non repugnantiam ad illud producendum, quod sufficit, ut talis effectus intra latitudinem objecti adæquati talis potentie contineatur: si enim ita non contineretur, neque posset dari potentia obedientialis ad illud producendum. Ad confirm. dist. maj. Non habet virtutem proximam, neq; radicalem, quæ fieri possit proxima per comprincipium elevans, neg. quæ fieri non possit proxima, conc. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat ex dictis.

Objic. 9. Quando aliquis effectus, vel actus est connaturalis alicui potentie activæ, procedit ab illa tanquam à causa principali: sed visio beata est connaturalis intellectui creato illustrato lumine gloriæ; cum intellectus ita illustratus sit ordinis divini, & velut Dei formis; ergo &c. Conf. 1. Si intellectus se haberet ut causa instrumentalis ad visionem beatam, non egeret lumine gloriæ ad videndum Deum etiam de via ordinaria, & oculus corporeus posset elevari ad visionem beatam; sed utrumque est falsum, & contra nostra principia; ergo &c. Maj. prob. Instrumenta Dei non elevaruntur, nisi per potentiam obedientialem singulis rebus creatis inditam, atq; de ratione instrumenti est, elevari ultra suum objectum adæquatum; atqui si intellectus haberet potentiam obedientialem ad visionem, non indigeret lumine ad eliciendam visionem: tum etiam, si posset elevari ultra suum objectum adæquatum, nulla esset ratio, cur neque oculus corporeus elevari posset ad videndum Deum; ergo &c. Conf. 2. Quando agens est infinitæ virtutis, sicut Deus, potest ad potentiam

potentia absoluta uti quolibet instrumento ad quemcumq; effectum producendum; ergo si intellectus creatus instrumentaliter tantum concurrat ad videndum Deum, poterit ad Dei visionem elevare Deus non solum oculum corporeum, sed lapidem, plantam; &c.

377. Resp. dist. maj. Quando est connaturalis potentia secundum virtutem, juxta quam connaturalis est, conc. secundum virtutem, juxta quam obedientialis est, neg. maj. & dist. min. intellectui creato illustrato lumine gloriae secundum virtutem luminis proportionati ad visionem, conc. secundum virtutem obedientialem intellectus improporionati, neg. min. & conseq. Ratio est, quia in aggregato ex intellectu, & lumine datur duplex partialis virtus; altera consistens in lumine, cui connaturalis est visio, altera consistens in intellectu, cui visio est supernaturalis: cum autem visio debeatur illi complexo non quidem ratione exigentiae intellectus, sed exigentiae luminis. Exinde est connaturalis complexo non ratione exigentiae intellectus, sed ratione exigentiae luminis.

378. Sic in Christo constituto complexo ex humanitate, & verbo datur connaturaliter unio hypostatica, non quidem connaturalitate adveniente ratione humanitatis, cui unio est supernaturalis, sed ratione verbi, cui supernaturalis non est. Ad primam Confir. neg. major. ad prob. neg. maj. quoad secundam partem, & quoad utramque partem minorem. Ratio est, quia instrumentum quantumvis habeat potentiam obedientialem, non potest quia tale operari sine principio elevante, neque se exercere nisi circa objectum, quod intra obedientialem ipsius sphaeram continetur. Unde neq; oculus corporeus elevari potest ad videndum Deum, cum videre dicat ultra genus effectuum, genus quasi causae formalis ex n. 329. Et simul dicat visionem elici per principium ipsi proportionatum, quod plane non est sola potentia obedientialis, sed ipsa simul cum principio elevante.

379. Ad 2. Conf. dist. ant. Quocumq; instrumento habente potentiam inchoatam, & obedientialem, conc. non habente, N. ant. & conf. Sic quia nulla res potest se ipsam producere, nec habet virtutem inchoatam ad se producendam, cum non habeat virtutem adaequatam, ut realiter inadaequatè à se ipsa distinguatur; exinde non potest elevari ad se ipsam producendam. Quare si oculus corporeus non habet virtutem inchoatam ad producendam visionem beatificam, poterit etiam elevari ad illam producendam: sicut apud adversarios elevatur aqua ad producendum physicè gratiam: at non ex eo potest oculus Deum videre, sicut aqua neque est amica Dei, vel frui Deo, quamvis gratiam producat: nam sicut frui, & amare requirunt virtutem vi gratiae quasi causae formalis insupplebilem; ita & videre. Unde sicut est diversissimè producere gratiam, & gratum esse: ita diversissimè est producere visionem, vel videntem esse, quod de facto patet in lumine producente visionem, & non vidente, neque potente videre.

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

Obj. 10. Si intellectus creatus humanus instrumentaliter concurreret ad visionem in patria, etiam voluntas humana se haberet per modum instrumenti ad actus supernaturales, quos elicit: sed hoc est absurdum; ergo &c. Probat. min. ex D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 2. ubi ait: *Non potest dici, quod sic moveat Spiritus S. voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur instrumentum; sic enim tolleretur ratio voluntarii, & excluderetur ratio meriti.* Conf. Illa est causa principalis, quae concurrens ad effectum, & naturalem virtutem, & perfectionem saltem aequalem effectus perfectioni habet: illa verò est instrumentalis, quae non habet praedicta illa duo praedicata: sed lumen gloriae non continet illa duo praedicata ratione visionis; non enim est vitale, licet habeat connaturalem virtutem productivam visionis; ergo vel neq; lumen, vel neq; intellectus est causa principalis, sed instrumentalis Dei, vel solus intellectus est causa principalis.

380. Resp. conc. maj. & neg. min. ad prob. conc. ant. in sensu D. Thom. & neg. conseq. Quia D. Thom. non docet, quod Spiritus S. non moveat voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur aliquid instrumentum: sed sicut movetur illud, quod, licet sit principium actus, non tamen est liberum ad eliciendum actum, vel non eliciendum actum, quae est ipsa doctrina nostra. Dicitur enim voluntatem esse instrumentum, sed liberum, liberè agens, non ex sola sua intrinseca virtute, sed simul cum comprincipio suo principali, quo indiget ad agendum. Quapropter valde timeo, quod adversarius truncaverit truncatum testimonium D. Thomae, in quo si integrè poneretur, appareret nostra ratio: sic enim habet: *Similiter etiam non potest dici, quod sic moveat Spiritus S. voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur instrumentum; quod etsi sit principium actus, non tamen est in ipso agere, vel non agere; sic enim tolleretur ratio voluntarii, & excluderetur ratio meriti.*

381. Ad conf. 2. respondent aliqui neg. maj. quia aequalitas perfectionis in causa, & effectu ad summum requiruntur ad causam uniuocam: non verò ad causam principalem, ad quam satis est, quod sit virtus naturaliter exigens effectum sive magis, sive minus perfectum; simulq; moveat, ut cum ipsa cooperetur causa instrumentalis, cum qua constituit aggregatum continens solum perfectionem effectus: neq; in alio sensu intelligi possunt auctoritates Scripturae, & PP. supra à nobis adductae. Unde sine sufficienti fundamento requiritur ad causam principalem uterq; iste conceptus cum principiis Theologicis parum consentaneus. Haec autè responsio majori indiget expositione, quare 2. dist. maj. saltem aequalè effectui perfectione habet, sit causa partialis, principalis N. si sit totalis, C. maj. & C. min. N. conf. quia causa principalis actus supremi meritorii non est solum principium effectivum consistens in habitu, aut ejus supplemento, sed etiam auxilia actualia moraliter concurrentia, ut dicem<sup>us</sup> a n. 32. de Grat. aggregatū verò ex gratia habituali & actuali ja est perfectius actu elicit.